

tes, & ait: Quia sermo eorum serpit ut cancer, humiliter irrepunt, blandè capiunt, mollior ligant, latenter occidunt, &c.

Act. 16. n. 7. Cum autem venissent in Mysiam tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE II. à Vers. 7. usque ad 12.

26. Vers. 7. Cum venissent in Mysiam quæ est una Civitas in Asia minori; Tentabant ire. Arabic. Studuerunt proficisci. D. Epiphani. Conabantur Spiritus Pauli non acquiescebat, sed incessanter laborabat pro animarum salute In Bithyniam, quæ est alia Civitas Asiæ minoris Spiritus Jesu. D. Epiphani. Spiritus sanctus. Qui est unus, ac idem, ac Spiritus Jesu, nam Spiritus sanctus æqualiter procedit à Patre, & Filio, cur autem non permisit patet ex proxima q. 3. antecedenti.

27. Vers. 8. Descenderunt in Troadem, quæ ut multis placet, est Regio illa ubi quondam fuit celebris urbs Troia.

28. Vers. 9. Viso per noctem. Syriac. Per visum nocte apparuit Paulo vir Macedo. Glossa Ordinaria, Beda, & Carthus. existimant fuisse Angelum tutelarem macedoniæ exhortantem paulum, ut in macedoniam transfret, assumens habitum, formam, ac vocem macedoniæ, vel ipse Angelus tutelaris ac preses macedoniæ excitavit ac efformavit species in phantasia S. Pauli, ut vir Macedo videretur. De Angelo tutelari multa dixi supra cap. 12. quæst. 16. n. 155. 156.

29. Vers. 10. Statim quaesivimus proficisci. Arabicus Statim studuimus egredi. Cum vero D. Lucas huc usque locutus fuisset de Paulo in tertia persona, & modo mutat stylum loquens in prima persona, Quaesivimus. Colligitur, quod ipse D. Lucas, Paulus ac timotheus, & Silas fuerint in prædicatione evangelica, ac proinde anno decimo nono à morte Christi, ut computat Baronius. Unde ait D. Hieronymus, de Scriptoribus ecclesiasticis, deinceps D. Lucas non tam audita, quam visa à se pauli gesta refert, tamen videtur, quod in fine hujus capituli iterum recessit à Paulo, ubi primam personam mutat in tertiam, idque firmiter, ac constanter usque ad c. 20. n. 5. ubi iterum in prima persona loquitur Paulus frequenter suos discipulos modo ad hanc partem, modo ad illam mittebat ob animarum salutem, ac prædicationem Evangelicam.

30. Vers. 11. Navigantes autem à Troade. Arabic. Conscendimus ergo mare, venimus recto itinere Samoethraciam, quæ est insula sic dicta à Samiis, seu Thracibus, unius Regionis æcolis, vel etiam incolis, ut vult Diodorus, huic è vicino adjacet Neapolis à regione insulæ thesi, ut tenent Cajet. Arias & Ganæus; addit tamen Occumenius sua ætate Chrystopolim dictam fuisse.

31. Vers. 12. Deinde Philippus. Veniamus ad hanc urbem sic dictam à Philippo Magni Alexandri patre? Quæ est prima partis Macedoniæ. Syriacus Principium Macedoniæ, & dicitur Colonia, nempe Romanorum Coloni vocantur Cives romani qui ad aliquam Urbem habitandum transferebantur, & non propriis, sed Romanorum legibus vivebant, jureque Romanorum gaudebant, de quo Cicero lib. 3. de Natura Deorum.

32. In hac urbe diebus aliquot conferentes, Arabic.

Perambulantes. D. Chrysof. Converterfantes, Pagnin. Hidot. Clarus, Varabl. Commorantes. Ibi enim permanserunt per aliquot dies, ut magis firmarent, ac radicarent fidem in animis audientium prædicantes in variis locis Civitatis. Arabic. Ambulantes, & etiam tractantes de his, quæ pertinebant ad animarum salutem.

QUÆSTIO IV.

Quare vigilantibus Paulo mandatur ut non prædicet in Asia: & dormienti, ut prædicet in Macedonia?

UT vidimus supra vers. 6. per internam inspirationem prohibuit Spiritus sanctus paulum in vigilia ne prædicaret in Asia, sicut etiam hic vers. vetavit idem Spiritus sanctus ne irent in Bithyniam, at verò nunc per noctem, & in somnis, Vir Macedo quidam stans, & deprecans eum dicens: transiens venit in Macedonia vers. 9. Statim sine ulla dilatione viam arripit, & Macedonia ingreditur; Unde tanta differentia.

In utroque facto obedientia Pauli ejusque charitas in proximos repledet, ut munus prædicandi sibi commissum non adimpleret græde, & urgens mandatum fuit interponendum, & ideo vigilantibus datur mandatum prohibens ab Spiritu sancto, at vero ut humanæ salutis perageret negotium, ut vehemens ejus desiderium exoptabat: levis, & minima insinuatō sufficiens, & abudans erat, ideoque dormienti intimatur. Ut Chrysof. homil. 34. in Acta. Vide, inquit, quod non per Angelum monetur sicut Philippus, vel Cornelius. Sed quomodo? per visionem in somnis. Nam ubi solum, ut prædicaret ad hoc somnium apparet.

Tripliciter Angelus apparet Joseph monens eum de rebus magnis, ac gravissimis, & semper in somnis; Primo de altissimo Incarnationis mysterio. Noli timere accipere Mariam, quod in ea natum est de Spiritu S. est. Matth. 1. n. 20. Secundo ut cum puero, & matre fugiat: Fuge in Ægyptum, & sta ibi dum dicam tibi, Matt. 2. n. 13. Ut ostenderet in Ægyptum terram longinquam extraneam per viam ei ignotam, & incognitam. Tertio ut de Ægypto reverteretur in Jerusalem, ubi non erant minores difficultates: Surge accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël, Matth. 2. n. 20. Et in his tribus vicibus notatè exprimit sacer textus, quod Angelus Domini apparuit in somnis. Cur semper in somnis, & non aliquando in vigilia, ut Angelus apparuit Pastoribus Luc. 2. D. Paschas. lib. 1. in Marthæum, ut commendaretur obedientia Joseph; nam licet rerum magnitudo omnem humanum captum transcenderet, obedientiam tamen sufficiens fuit levis insinuatō etiam per somnium ad captivandum intellectum cum diligenti operum executione.

Alto, & profundo somno tenebatur anima sancta, ut ne quis eam audeat inquietare, juramento interposito Sponsus sodales adstringit: Adjuvo vos filia Jerusalem, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit, Cantic. 2. n. 7. & tamen immediate ait ipsa; Vox dilecti mei, n. 8. & iterum: En dilectus meus loquitur mihi, n. 10. Si tanto sopore tenebatur ut ne à sodalibus esset excitanda, quomodo sic dormiens statim sentit, vocem Sponsi, & ad illum excitatur, quem vigilantes sodales non agnoverant, illa sola dormiens audit, & agnoscat; talis est iustorum somnus à Deo immixtus, qui videntur dormire, ut corpori, & humanæ naturæ

naturæ indulgeant, & inserviant mens tamen semper vigilat ad Dei obsequium, & famulatum summa promptitudine, & exacta obedientia. Ad hoc tendit D. Bernardus in Cantico serm. 52. ubi sic ait: Istius vitalis, vigilque sopor sensum interiorellum illuminat: Re vera dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat: sed abducit, ait: quod vitalis, & vigil sit sopor, est ut corpus serviat naturæ, vitalis, & vigil, ut Deum audiat, & ei obediat.

QUÆSTIO V.

Quare D. Paulus tam diligenter per mare navigat, venit Macedonia?

37. Origin. Jam unam rationem ex multa Pauli charitate assignavi, aliam inculcat Origenes homil. 1. in Lucam, & ait: Erat quidam Pastor Macedonia, hic necessarium habebat auxilium Domini; propterea apparuit in somnis Vir Macedo dicens: Transiens in Macedonia adjuva nos, quid de Paulo loquar? Cum hæc non Paulo, sed qui in Paulo erat locutus sit Jesus. In paulo erat Jesus tanquam in vase quodam Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, Act. 9. In Paulo erat nomen Jesu. Hinc Angelus habitu Macedonio exhortabatur, ut transiret in Macedonia, ut virtute tanti nominis Christi potestas maximè claresceret, & omnis salus & vita in Macedonia dimanaret: Hic non Paulo, sed qui erat in Paulo loquutus sit, ut Jesus qui erat in Paulo loqueretur, & diceret.

38. Maxime dubitabis, quod Christus D. tres mortuos suscitaverit patenter, & in omnium oculis Lazarum multis presentibus, Joan. 1. n. 44. Filium viduæ coram multa turba, Luc. 7. n. 12. Filium Jairi coram patre & matre, & aliis Marc. 5. n. 40. tamen ipse occultè nemine vidente resurrexit, cur non multis videntibus, ad majorem ostentationem suæ potentis, & divinitatis, sicut ipse abiens in Cœlum, cur nobis non reliquit suæ supremæ Majestatis aliquod visibile regnum? Maxime horum omnium præclarissimum testimonium nobis dedit, ac reliquit in suo sanctissimo nomine Jesu; si enim aliqui eum resurgere vidissent, poterant dicere esse Phantasma, vel si aliquod visibile signum in nobis constituisset, poterant dicere esse quid fictitium, ac apparens: At vero quis de ejus resurrectione, potestate ac divinitate audeat dubitare, cum ejus nomen Jesu quotidie adversarias potestates destruat, mortis vincula dissolvat, & multa mirabilia solius dei propria per nomen Jesu perpetrentur, quid evidentius si nomen Jesu resuscitaret mortuos, quod ipsum resurrexisset evidens est signum; si per nomen Jesu eduntur, quæ ad solum deum spectant, planum, & evidens est ipsum esse verum Deum, & tanta virtute hoc sanctissimum nomen plenum est, ut per illud multa majora exhibeantur, quàm quæ Christus Dominus per semetipsum præstiterit. D. Basilii Seleucus orat. 41. ait: Resurrectio nunquam tantam fidem conciliaisset, si in oculis omnium Christus fuisset; illi enim poterant obrudi spectrum esse; at qui ab ejus solo merito nomine majora miracula provenire videbat, quam ab ipso in carne inter mortales agente non possent credere, nisi forte mente esset extensa.

39. Ait Christus D. Joan. 14 n. 13. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet; quia ego vado ad Patrem, & quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, Maxime notandum, quod de oratione, ac petitione faciendâ

solum loquitur de illa quæ fit in nomine ejus, cur non etiam agit de illa, quæ fit per ejus personam, ac si diceret: si petieritis Patrem per me; nam frequenter in toto Evangelio multa in sua persona disponit, ac ordinat: Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, Matth. 5. n. 44. Ego mitto vos sicut oves inter lupos, Matth. 10. n. 16. Et sic passim multis aliis in locis tam ipse Omnipotens Deus voluit sublimare & exaltare ipsum sanctissimum nomen Jesu, ut disposuerit, quod in hominum æstimatione efficacius haberetur ad impetrandum, quam si in persona ipsius Iesus peteretur, & ideo non ait si quid petieritis Patrem per me, sed in nomine meo. Theophylactus ait: Per orationem, ac invocationem hujus nominis Jesu potest quis exercere prodigia. Unde notat D. Chrysof. homil. 73. in Joannem, quod apostoli in nomine Jesu faciebant signa prodigiosa & miracula. De hoc sanctissimo nomine vide in Sybillario hoc nomen Jesu.

Act. 16. n. 13. Die autem Sabbathorum egressi fuimus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse, & sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant.

Versiones

CUM EXPOSITIONE III.

usque ad Vers. 15.

Vers. 13. De Sabbathorum. Dies quietis ab operibus, & totus Dei cultui consecratus: Ubi videbatur locus orationis esse, Syriac. Illic domus orationis conspiciebatur. Græcus: Oratorium. Ita dictum ab oratione, sicut Cœnaculum à cena, deambulatorium ab ambulando, Ecclesia in cætu, ac congregatione populi, talia loca apud Judæos, & Samaritanos, ut notat D. Epiphanius hæres. 80. erant extra Civitatem, ut quietius orarent extra phan-

multum. Hic autem locus videtur quod fuerit Synagoga judæorum, quia ad illum se conferebat Lidia, de qua dicitur statim vers. 14. quod fuerit colens Deum, quod quidem de ea haud diceretur si esset idololatra, ac illud esset idolorum, ut vult Salmeron, ad hunc locum tendebat Paulus cum suis discipulis, ut ibi prædicaret, ac doceret, ut notant D. Chrysof. Loguebantur mulieribus, quia ut ait Ly-Lyranus, sunt maximè piæ ac devotæ.

Vers. 14. Nomine Lidia. Aliqui ita dictam existimant, utpote originem habens, à Lidia Provincia in Asia minori, sed non stat, quia licet cognomina sumantur à Patria, v. g. Ioannes Ulyssiponen-sis, vel Toleranus, non tamen nomen personale, & si à patria ejus nomen sumendum esset, diceretur Thyatirena, de qua Civitate erat nata, Purpuraria, quia induebatur purpura, & valde nobilis, alii quia purpuram intingere, cujus opifices in multa æstimatione erant apud antiquos, ut tradunt Eusebius, Nicephorus, Ammon, Marcellinus apud Lorin. cum tamen Syrus, Græcus, & Arabicus legant Ven-ditrix purpure, hoc erat ejus officium, quod fieri solet à mercatoribus ditioribus, qui vendunt pretiosa. Ita Cornelius Menochius, Tyrinus, & purpuram vendere pro magno honore decorabatur teste Baronio.

Civitas Thyatirenorum, Civitas est Lydiæ, de qua egi in Apocalypsi 1. vers. 18. Colens Deum, alii qui dicunt, quod erat Gentilis, & lumine naturali illustrata est à Deo, ita Cajetan. melius tamen dicendum

